...ysius.

Bieżanowski Stanisl. Jos. Iambi lugubres in obitum Dionysii Politowicz.

IAMBI LVGVBRES

In Obitum

Illustris Olim, & Admodùm Reuerendi Domini,

D. M. DIONYSII POLITOWICZ,

Iuris Vtriusq; Professoris,

Ecclesiæ Collegiatæ Sanctæ ANNÆ PRÆPOSITI,

SS. OMNIVM Canonici,

Curati Michocinensis,

DVM EI

Ad Ædes D. ANNÆ, *publico Omnium Academiæ Ordinum dolore, & obsequio,*

Iusta Funebria persoluerentur;

A

M. STANISLAO JOSEPHO BIEZANOVVSKI, Leopol: Philosophiæ Doctore, Collega Minore, Ordinario Pòëseos Professore.

dolenti affectu,

Effusi;

&

immortali eiusdem Memoriæ


Consecrati.

Anno à partu Virginis 1671. *Die* 16. *Mensis* Martij.

CRACOVIÆ, Ex Officina SCHEDELIANA, *S. R. M.* Typogr.



JAMBI LVGVBRES



EXeſte viles cordis vndæ ſaucii,
Rimas dolori, ſpongiamq; pectorum
Rorante luctu, per genas non maſculo,
Quæ ſub procella lackrymarum quæritis:
Seueriori mentium ſignaculo,
Leuamen iſtud, balneumq; roridæ
Signamus vndæ. Sicca pectus vulnera
Vrgent togatum, quæ Medelam reſpuunt,
Salſisq; guttas non reſudant imbribus.
Vt æſtimamus æſtimari neſcios;
Sic & dolemus, eruditæ Palladi,
Selectiores eripi paßim viros:
Non omnis ætas, aureiq; fimbria
Extrema, quales parturire ſeculi
Non omnis, alto temporum niſu valet.
Iuiſtis eheu digna cedro nomina,
Vrnasq; triſtes, & ſepulchra marmorum
Liquiſtis orbi; ſauciisq; mentibus
Vulnus perenne; literæ quibus decus
Vitamq; debent, corculumq; gratiæ!
Orbisq; diſciplina quicquid ſerium,
Et Stoa quicquid, ad rigorem Maſculum,
Format Catonis, debet inter exedras.
Vltor quid ergo iambe parcis? vindici
Vrgere Parcas inſolentes carmine?
Impunè flammis, buſta ſi rurſum nouis
Phœbea fumant; Si recens doctas cinis
Inſpergit vrnas; queîs togata clauditur
Menſura Magni Nominis, perennibus
Victura ſeclis; qualis ad POLITOVî
Spectator vmbram, ſeq; tollit celſiùs,
Mortalitatis vniuerſæ legibus.
Sed Iambe, quamuis lugeas dolentiùs
Inter cupreßis, tetricasq; Næniàs,
Auſterioris id feras ſupercili,

Sed

Solamen ingens, melq; mistum absynthio;
Vltra fauillas, posthumum calentiùs
Quod nomen Orbi, literata pectora.
Vitamq;, veræ spiritumq; gloriæ
Ferant perennem. nec caduca funerum
Vis hic triumphet; quam bonæ celebritas
Famæ superstes, calcat extremo gradu
Vitæq; calce; seculis quando incipit
A morte nasci, posterisq; viuere.
Hæc vita seruat, & tuum POLITOVI
Vitale nomen; erudito traxeras
Quod fonte vitæ, lacteoq; ab vbere.
Amæ Parentis; cuius in sinu, tua
Prætexta quondam, cessit in præstantium
Togam Virorum. nempe sincerus latex
Tibi, scaturigoq; pura Craciæ
Dilecta semper Palladis; non miscuit
Illime crystallum, & Vetustæ vitrea
Scholæ fluenta, riuulis nouissimis,
Recensq; ductis turbidis canalibus.
Huc illa virtus prisca BREZINENSIVM,
Laurentiana SMIESZKOVIQ; *gloria,*
Virum poposcit. huc togatis frontium,
Te bina laurus prouocans honoribus,
Vtroq; nexu, docta cinxit tempora.
Themis sed vna, gratiis ex omnibus,
Consusq; pectus occupauit serium,
Arcana Iuris, & Sacrum per omnia
Placet Tribunal; quæq; priscis æmula,
Responsa Delphis, Sanctiora Oracula
Orbi loquuntur. Talibus POLITOVI
Vacare curis, & Paginas voluere,
Queis Vaticana, Cæsarumq; Summitas
Edicta format, dulce sit Negotium.
Sic è bonarum, mentium cultissima
Domo Minori, tendis ad subsellium
Iuris, Sophorum Stagyram Astreæ sacro
Mutans recessu. cùm tibi SMIESZKOVIVS
Occumbit; illud aureum Phœbi caput!
Et illa Suadæ vena dulcis Atticæ,
Et illa plectri Sireii via Lechici,
Rector, ProCancellariusq; Cracii
Magnus Lycei! grandis illa publici
Boni columna; flosq; cordis optimi
Occumbit eheu; teq; dilectum sibi

Amoris in nos exequi immortalia
Decernit Argumenta, liberalibus
Effusa dextris. Sed nihil perenniùs
Quàm nomen illud, nomen illud aureis,
Nobis reliquit incidendum literis;
Quod scripta spirant, quod loquuntur
Maximi curæ laboris. dâmna tanti Nominis
Lugemus eheu! sed tuis POLITOVI
Coniuncta bustis, lachrymamur tristiùs.
Tu candor ille, tu prisca nix mentium,
Hostis dolosi pectoris, fidelibus
Curis amica, pacis internæ bono
Beata, & æmulantium durâ procul
Ceruice, Sectis partiumq; cordibus.
Talem Senectæ canus ille flos tulit;
Sensêre talem, cordis eius conscii
Dulces amici; quosq; iunxit sanguine
Virtus amoris. hora decretoria,
Lapisq; vitæ Lydius, sic repperit
Parem ferendis, vltimis rebus virum;
Iam præparatum, post tot arduas vices,
Ægrè valentis, morbidiq; corporis,
Post tot dolores; grande momentum exitûs,
Ex Christiani ferre sensu pectoris.
Mortale soluit, sed perenne reddidit,
Authoris, vnde venit, in manus sui
Lubens, libensq; qualiter decet mori,
Viros in exemplum, Cathedræ publicæ
Professione destinatos, nec sibi
Natos, sed orbi. Iambe sat proin datum
Tuo dolori. parce tristes ampliùs
Vexare Parcas; nil in optimos habent;
Magisq; famæ, quam ministrant funeri,
Dum magna tollunt. viuis o POLITOVI!
Virtute, literis, amore publico
Cætûs togati, Nominisq; gloriâ;
Et quæ parentant, nostra doctis MANIBVS,
Habes perenne Mausolæum pectora.



